N. 40669



ACTII SYNCERI SANNAZARII ODÆ.

EIVSDEM ELEGIA DE MALO PVNICO.

IOANNIS COTTÆ CARMINA.

M. ANTONII FLAMINII CARMINA.



ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI VIRI PATRICII ODÆ.

ST *mihi riuo uitreus perrenni*
Fons arenosum prope littus, unde
Sæpe discedens sibi nauta rores
Haurit am[illegible]os.
V *nicus nostris scatet ille ripis,*
Montis immenso sitiente tractu,
Vitifer qua pausilypus uadosum ex—
Currit in æquor.
H *unc ego uita redimitus alba,*
Flore, & æstiuis ueneror coronis,
Cum timent amnes, & hiulca sæuum
Arua Leonem,
A *nteq; festæ redeant calendæ*
Fortis Augusti, superantq; patri
Quattuor luces, mihi tempus omni
Dulcius æuo,



ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI VIRI PATRICII ODÆ.

ST mihi riuo uitreus perrenni
Fons arenosum prope littus, unde
Sæpe discedens sibi nauta rores
Haurit am[illegible]os.

V nicus nostris scatet ille ripis,
Montis immenso sitiente tractu,
V itifer qua pausilypus uadosum ex —
Currit in æquor.

H unc ego uita redimitus alba,
Flore, & æstiuis ueneror coronis,
Cum timent amnes, & hiulca sæuum
Arua Leonem,

A nteq; festæ redeant calendæ
Fortis Augusti, superantq; patri
Quattuor luces, mihi tempus omni
Dulcius æuo,

Bis mihi sanctum, mihi bis uocandum,
Bis cælebrandum potiore cultu,
Duplici uoto, geminaq; semper
Thuris acerra.
Nanq; ab extremo properans eoo
Hac die primum mihi uagienti
Phæbus illuxit, pariterq; dias
Hausimus auras.
Hac & insigni peragenda ritu
Sacra solennes ueniunt ad aras
Nazari, unde omnes tituli, meæq;
Nomina gentis,
Nazari uastas cohibentis undas
Aequoris, sæuosq; domantis æstus,
Quicquid & uani truculenta iussit
Ira Neronis.
O decus cæli simul & tuorum,
Rite quem parua ueneramur æde,
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras,

S i mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dedisti,
Huc age, & fontem tibi dedicatum
Sæpe reuise:—
A Zari heu quis me tibi ad hanc supremi
n Littoris ripam, quis ad hos putasset
Tethyos fluctus, quis ad has daturum
Thura paludes?
P ost tot emensos pelago labores,
Tot pererratos populos, sub ipso
Fine terrarum datur ecce amicum
Cernere numen.
E rgo in extremis pater alme terris
Barbaræ norunt tua sacra gentes,
Qua latus dextrum Liger æstuosis
Obijcit undis.
I amq; & Aulercos genus acre, & ipsos
Cernis ad te Lexouios citato
Essedo, & picta uolitare flauos
Puppe Britannos.

O mihi semper geniale cæli
Sydus, o famæ decus omne nostræ,
Author o idem mihi gentis, & spi—
Rabilis auræ.
S e tibi debet proauorum origo, &
Sanguinis si sunt decora ulla nostri,
Debet & præsens genus, & futurum,
Debet & hæc lux
S acra, quæ magnum mihi prima solem
Obtulit nascenti, & inane aperti
Aëris, pulchrosq; micantis æthræ
Tot simul ignes,
H inc tuis per me dare grata templis
Munera, hinc natalitias coronas
Annuis sueuit sociare sertis,
Dum fuit hæc sors.
N unc in ignotis uagor ecce campis
Regis heu cari exilium secutus,
Dum fides, & fas, & amor, piusq;
Me rapit ardor.

I puer, buxum nemore ex propinquo
Collige, & siquas tibi littus offert
Quercuum frondes, celebrare mæstum
Sic iuuat annum.

O ubi dulces patriæ recessus
Abluis sebethe, loca illa myrto
Consita, o qui Pausilypi uirentes
Det mihi citros,

Qua tuum lambens maris unda fontem
Margines parui minuit sacelli,
Nostrum opus, quo se recreet quotannis
Læta iuuentus,

Quæ tibi sacris operata arenis,
Frondibus remos, celeresq; cymbas
Ornat, & forsan mea nunc, ut olim,
Dona requirit.

Heu pater, cur heu mihi ad institutos
Non licet iam iam properare cursus?
Cur uetor templis, & adesse ludis
Rite dicatis?

it ſatis uentos toleraſſe & imbres,
Ac minas fatorum, hominumq; fraudes,
Da pater tecto ſalientem auito
Cernere fumum:—
Vpis o ſacræ, pelagiq; custos
Villa nympharum domus & propinquæ
Doridos, regum decus ipſa quondam,
Delitiæq;,
Nunc meis tantum requies camœnis,
Vrbis inuiſas quoties querelas,
Et parum fidos popularis auræ
Linquimus æſtus.
Tu mihi ſolos nemorum receſſus
Das, & hærentes per opaca laurus
Saxa, tu fontes, Aganippidoſq;
Antra recludis.
Nam ſimul te te repeto, tuasq;
Sedulus meam uenerор Napæas,
Colle Mergillina tuo repente
Pegaſis unda
Effluit,

Effluit, de qua chorus ipse Phœbi,
Et chori Phœbus pater, atq; princeps
Nititur plures mihi iam canenti
Ducere riuos.

Ergo tu nobis Helicon, & udæ
Phocidos saltus, hederisq; opacum
Thespiæ rupis nemus, & canoro
Vertice Pindus.

I puer blandi comitem laboris
Affer e prima citharam columna,
Affer & flores, procul omnis a me
Cura recedat.

Principis nostri decus, atq; laudes
Fama per latas spatiata terras
Euehat, qua sol oriens, cadensq;
Frena retorquet,

Quaq; non notos populos, & urbes
Damnat æternis Helicæ pruinis,
Quaq; feruentis cumulos arenæ
Dissipat auster.

I lle crescentes ueneratus annos
Vatis antiquum referentis ortum
Stirpis, & clarum genus, & potentum
Nomen auorum,

C ontulit larga numerosa dextra
Dona, & ignauæ stimulos iuuentæ
Addidit, syluas, & amæna musis
Ocia præbens: —

Vm uehor picto uacuus phasello,
d Et modo septos iaculis echinos,
Nunc bene hærentes scopulis laboro
Vellere conchas,

T ange uocales studiosa chordas
Musa, & auratum moderare plectrum,
Pauca de multis referamus acta
Regis amati,

Q ualis herboso spatiata campo
Virgo iam matris decus, & uoluptas
Nectit e solis uiolis coronam
Cætera linquens,

Hic ubi ueras imitata turres
Tot simul pinnis, niueisq; tectis
Rupe Mergillina sedens propinquum
Spectat in æquor.

Adsit ex imo Galatea fundo
Nil timens sæuos Polyphemi amores,
Nec mihi durum refluens canenti
Obstrepat unda.

Sit licet magnus, trepidasq; turmas
Fregerit primis Federicus ausis,
Cum puer celsas penetrauit alpes,
Saxaq; Rheni,

Texerit latis pelagus carinis
Dalmatum dites populatus urbes,
Senserit presso prope fulminantem
Ore Timauus,

Cinxerit sacra meritum corona
Et caput, Gallos quoniam feroces
Contudit, totas reuocarit orci ex
Faucibus urbes,

N il tamen maius, nihil egit unq̃
Fortius, q̃ quod titubante regno
Cum sibi sceptrum, & diadema posset
Sumere tutus;

C oniugem caram, propriosq; natos
Liquit & fidas lacrymas clientum,
Fratris heu pulsam sobolem secutus
Per mare uastum.

E rgo nunc illi moderator alti
Aetheris, cui sunt pia facta curæ,
Regium frontis decus, & negatos
Reddit honores.

O Fides rarum, placidumq; numen
O mihi nullis reticenda seclis,
Te te ego æternum prece, uictimisq;
Pronus adorem :—

Taure, presens qui fugis periculum,
o N am te nec odio, tædio ue tam bonas
S preuisse syluas, tam bonos putem lacus,
Dic, quis propinquas nubibus tibi iuga

Molestus inuidet, iuga illa tam tuis
Sudata cornibus, tuisq; prælijs
Deuicta? quis saltus, & amnium uberes
Cursus, torosq; marginum uirentium,
Quis uda riuis prata, quis recondita
Nemora, quis umbras sibilantium arborum
Male aduocatus abstulit tibi deus?
Non amplius uidebis ah miser, ah miser
Amata regna, non uidebis amplius
Tuos amores, non licebit heu tibi
Posthac cubanti sub genistulis tuis,
Molliue fulto niueum amaraco latus
Audire uoces ruminantium gregum,
Meridianum non inire somnulum.
Quæ nunc adibis tesqua, quæ petes loca
Misselle taure? quas subibis ilices?
Vbi myricæ, ubi uirentis arbuti
Iucunda sedes, ubi salicta, & omnibus
Eheu iuuencæ præferenda pascuis?
Iuuencæ, solos quæ relicta ad aggeres

Padi sonantis, heu malum sororibus
Omen, gementes inter orba populos
Te te requirit, te reflagitat suum.
Implet querelis nemus, & usq; mugiens
Modo huc, modo illuc furit, amore perdita
Omnia peragrat arua, lustrat omnia,
Nunquid bisulcæ signa cernat ungulæ.
Quærit per alta montium cacumina,
Quærit per ima uallium cubilia
Memor locorum, non tamen sui memor.
Te mane primo, te rubente Vespero
Luget, nec illam, Luna cum recurreret
Cælo, nec atræ noctis alma sydera
Videre dormientem, abire flumina,
Abire solem, abire cernit omnia,
At ipsa mæstam sola non abit domum
Humi recumbens, strata sub nudo æthere.
Hanc & puellæ nemorum, & ipse corniger
Syluanus aspicit, hanc bubulcus intuens,
Miser bubulcus, nec iuuare eam ualens,

Tantum, quod unicum in malis refugium habet,
Suspirat, ingemit, deum inuocat fidem
Iratus ursis, quod coegerint procul
Abire syluis albulum iuuenculum,
Et tam uenustam clamitare buculam:—

Etus delitiæ tuæ Dione,
p *Vni cui charitum sales beatos,*
Cui fontes dederas facetiarum,
Ac risus simul eleganter omnes,
Petus mortuus est tuus Dione,
Petus compater usq; ad astra notus,
Qui puro niueæ colore mentis
Vincebat paphias tuas columbas,
Vincebat nitidissimos olores,
Cui de lacteolis tuis papillis
Donarunt uiolas Iocusq;, Amorq;,
Donauit teneram Thalia myrtum,
Mox promens citharam decentiorem
Versus addidit eruditiores.
O sæuæ nimium, malæq; parcæ,

Vestros non potuit tenere fusos
etus, qui rapidas domare tigres,
Qui duras potuit mouere quercus,
Vestras non potuit colos morari,
Vnam non miser impetrare lucem.
Sic sic occidis heu miselle Pete,
Nec te Pierides tuæ, nec ipsa,
Quæ te per Paphon, & Gnidon uirentem,
Per colles amathuntios uocauit,
Fatis eripuere tam malignis.
At non unanimes tui sodales,
Quos tu pectore tam pio colebas,
Quos tristes obitu tuo relinquis,
Hoc duro tibi defuere casu.
Quin me trans Ligerim, ferosq; Celtas
Lustrantem Morinum pigras paludes,
Dum quæro oceani ultimos recessus,
Veris nuncius obruit querelis.
Ergo quid tibi tam uagus uiator,
Cui nec pulchra Neapolis, nec alti

Colles

Colles Pausilypi, nec ipse adesset
Sebethos pater, aut pater Vesevus,
Inferre exequiarum amice possem:
Rupem, quam uagus hinc & inde Nereus
Alterna ueniens retundit unda,
Accessi, & procul angulo in supremo
Stans supra pelagi alluentis æstus,
Manes terq;, quaterq; conuocaui,
Hic fudi lacrymas amariores,
Hic uici gemitus uel unus omnes,
Omnes & simul omnium querelas,
Mox, quamuis cineri tuo decentem
Pontanus tumulum pararit, ac te
Cognatas ueneretur inter umbras,
Quamuis & diuturnius sepulchrum
Diuinis parat excitare chartis,
Nostrum non tibi qualecunq; munus
Inter frigora, solitudinesq;
Cessauit, nec honore te supremo
Fraudaui miser, hoc scit ipsa Thetys,

Scit late oceani unda galliatni.
Stant aræ tibi, ſtat uidenda nautis
Terreni tumuli puſilla moles,
Et buxus ſuper, & dicata quercus,
Nam myrtum regio illa non habebat.
Quę iuſſit pietas ſacrare, ut eſſet
Naturæ tibi terminus ſepulchrum:—

Mit ſepulchro prædium Vetuſtinus,
Sed quod futuros non ſequatur heredes,
Iratus æque mortuisq;, uiuisq;,
Scribiq; curat grandibus notis demens
Viginti in agro, in fronte ter pedes octo.
Habitat ſub urbe ſcandulis tribus tectus.
Ne penſione iam grauetur aut ſumptu,
Dormit grabato, quo nec ipſe iam uellet
Dormire cimex, nec lacerta, nec ſoreſ,
Cænat per hortos alliumq;, cæpasq;,
Et ſalgamorum iure liuidos caules,
Vel ſiquid optat unctius ſibi poni,
Piſcatur ipſis in paludibus ranas,

Aut e cloaca colligit meras ſordes,
Putrem palumbum, mortuum ue caponem,
Et doliorum turbidam bibit fecem,
Tanq̃ falernum conſulare, uel chium,
Opimianæ quod refuderint cellæ,
Nec iam profeſtis hoc, ſed idibus tantum,
Sacrisq; potat feralis calendarum,
Et mane ueſte currit anxius rapta
Ad architectos, marmorumq; ſectores,
Vt de ſepulchro conſerat nouas lites,
Quos iam miſellos peſſimis modis multat,
Ducit, reducit, diſtrahit, rapit, uexat
Per angi portus, uiculosq;, cliuosq;,
Et per ruinas urbis, & per anfractus,
Monſtrat theatra, porticusq; priſcorum,
Arcusq; claris principum ſacros armis,
Hinc & deorum templa, & obrutas thermas,
Et quicquid altis fornicum ſubeſt cliuis,
Nec iam fauiſſas linquit aut nigros manes.
Domum trecentis cum laboribus fractos,

Et æstuantes pariter, & fame siccos
Vix officinæ post meridiem reddit
am feriatæ, uectibusq; adhuc clausæ.
Culpat coronas, Zophorumq; permutat,
Spiras reformat, & scapos columnarum,
Et nunc hetruscas, nunc corinthias mauult,
Nunc atticarum laudat angulos tantum.
Quid cum columnis nunc tibi Vetústine
Aut cum triglypho, ionicisue puluinis?
Dormi misellæ, sat diu laborasti,
Cœnare fessos & aliquando permitte.
Vel si sepulchri cura te coquit tanta,
Cadauer istud sterquilinio conde: —

EIVSDEM ELEGIA DE MALO PVNICO.

Vid miser ignotas perquiris nauita gentes,
Et tam longinquo littore quæris opes?
Nec te uentorumq; minæ, pelagiq; procellæ,
Non terrent dubiæ tædia mille uiæ.
Aspice, q̃ tenui uelemus cortice gemmas,
En tibi, quicquid habent littora rubra, damus.
Seu uis purpureo mites fulgore hyacinthos,
Seu mauis fuluo lumine chrysolithos.
Sed rude diuitias extollit uulgus inanes,
Nec nouit, quantis sit caput inde malis.
Diuitiæ fera bella uiris, letumq; tulerunt,
Nam prius æterna pace uigebat humus.
Diuitijs natoq; pater, natusq; parente
Cæditur, & caro fratre uerenda soror.
Nec tantum sæuæ tractant aconita nouercæ,
Sed iugulat partus mater auara suos.
Adde, quod & gemmæ solo fulgore probantur.

Et uix ascitus quæritur arte decor.
At nobis natura oculos turdare tuenteis,
Et dedit arenti pellere ab ore sitim.
Nec nostræ populos armant in prœlia gemmæ,
Nec suadent magnos clam uiolare deos.
Sed semper placidis uisunt conuiuia mensis,
Stant ubi iucundo pocula plena mero.
Illic nos teneræ uir porrigit ipse puellę,
Porrigit & cupido fida puella uiro.
Pacis opus sumus, & pacati munus amoris,
Quod capit a satyro nais amata suo.
Nec temere infernis cum nos gustasset in hortis,
Noluit ad matrem nata redire suam.
Nos quoq;, dum libycos errat Pomona per agros,
Obstupuit pleno fracta rubere sinu.
Ac rarum mirata decus, mirata saporem,
In sua de patrio transtulit arua solo.
Ergo puniceæ laus hæc & gloria syluæ,
Vincere gemmiferi lucida dona maris.
Pallentiq; graues depellere corpore morbos,

Ægraq; pæonijs ora leuare modis.
Quod nec erythræi præstabunt littora ponti,
Non opibus pollens indica terra suis.
Tu uero, duplici fulgent cui tempora lauro,
Militiæ, & sacri dux Aquiuine chori,
Accipe nos laudum contentus luce tuarum,
Muneraq; inuisæ despice luxuriæ.
Et seu carminibus, seu delassaberis armis,
Diluat exundans hęc tibi gemma sitim:—

IOANNIS COTTÆ CARMINA.

Me, quod fateor, meam Lycorim,
Vt pulchras iuuenes amant puellas,
Amat me mea, quod reor, Lycoris,
Vt bonæ iuuenes amant puellæ.
Huic ego, ut semel hanc uidere uisus
Sese ostendere fixiore ocello,
Quando inquam mea lux mei laboris

Das mi præmiolum, meiq; cordis
Tot incendia mitigas Lycori?
Hic illa erubuit, simulq; risit,
Ridebat simul, & simul pudebat,
Dumq; molliculos colens amores
Simul uirgineum colit pudorem,
Quid negem tibi, dixit, & capillum,
Qui pendens leuibus uibratur auris,
Et formosa uagus per ora ludit,
Hunc secans trepida, implicansq; in auro,
Hæc fila aurea, & aureum capillum
Pignus inquit habe meiq; amoris,
Meiq; ipsius, hoc tuum puellæ
Tuæ pignore lenias calorem.
Eheu quid facis, hei mihi Lycori
Hæc sunt flammea texta non capilli,
Sunt hæc ignea uincla, ni relaxer,
Qui tanto ualeam ualere ab æstu?
An ne ignem iuuat ignibus perire?
Comæ flammeolę subite flammas,

Crines

Crines igneoli uenite in ignes,
Sat me flammea uincla nexuistis,
Nunc uos soluimini, & subite flammas,
Vssistis nimis ignei capilli,
Nunc uos urimini, & ualete in ignes.
Hos meos age lætus ignis ignes
Pergere extinguere, tuq; flamma flammam
Exedas, mea corda quæ exedebat.
At tu, sic reliqui tui capilli
Vernent perpetuum tibi Lycori,
Quod tuos ferus usserim capillos,
Parce, nam uolo amare, non peruri:—
Factum lacrymabile, atq; acerbum,
Nunc certe lacrymaberis Lycori,
Digna res lachrymis, tuoq; luctu,
Nanq; lumina nostra, lumina illa,
Illa lumina, quæ Lycori amabas,
Quæ tuis solita anteferre ocellis,
Non sunt lumina, sed malæ tenebræ.
Illa, ut impia fata te Lycori

* bsiulere mihi, tuo q; longo
Ie a uultu uoluere abesse atro,
n riuos abiere lacrymarum,
Quodq; amarius, atq; præter omnem
Lacrymabile cogitationem,
Quantumcunq; habuere lacrymarum,
Iampridem euomuere, nunc ad ipsum
Ventum est sanguinem, ab intimoq; cordis
Ducto flumine turgidi, horridiq;
Sanguinem lacrymant misélli ocelli,
Et cum sanguine amata diffluit lux,
Ac sic enecuere seq;, meq;,
Dum meum miseri igneum furorem
Quærunt diluere, & rigare mentem,
Heu mentem Enceladi, Typhoëiq;
Æstuosa anima æstuosiorem:——
Am ualete boni mei sodales
I N augeri optime, tuq; amice Turri,
Vere candidi, & optimi sodales,
Quos nunquam sat amauerim, licet uos

Quam fratres mage, quamq; me ipsum amarim
Quibus perpetuum frui per æuum,
Vota si mea dii audiant benigni,
Sit una ampla animi mei uoluptas,
Verum dura necessitas repugnat,
Inuitumq; alias adire terras
Cogit, atq; alios parare amicos.
Vos ergo memores mihi esse uestri
Fixam in pectore imaginem, bonamq
Vobis partem animæ meæ reliqui,
Iam ualete boni mei sodales,
Dulces, candiduli, & boni sodales:

Erona qui te uiderit,
u Et non amarit protinus
Amore perditissimo,
Is credo seipsum non amat,
Caretq; amandi sensibus,
Et odit omnes gratias: —

Cellæ fluminum Calor, Calor pulcher,
Calor bonarum cura, amorq; Nympharum,

em, cærulum fouens caput sinu blando
. ontella secum amore uincit æterno,
Dic o mihi amnis conscie, an ne nunc forte
Pulchra illa, simplexq; adeo, & omnibus felix
Soluta curis mea Rubella per ripas
Tuas oberrat? & uel ex odoratis
Pingit corollas floribus, uel in densa
Sylua sibi suaui sopore blanditur?
An ne potius cum æqualium choro ludit,
Qua primum oriris ipse, quaq; miscetur
Nitens nitenti Balnius Politinæ,
Tuosq; læti confluunt in amplexus,
Argenteumq; pedem, atq; nuda formosos
Artus per undam, & aureum lauit crinem?
Sic est. ibi illa membra eburnea, atq; ipsas
Papillulas beata frigeras lympha,
Atq; inde flammeo calore concepto
Huc usq; flammas in mea ossa transmittis,
Dum te subinde candidæ memor nymphæ,
Qua iam recepta Samnij tumes unda,

Samni & uetustas limpidus rigas urbes,
Exul, miser, suspiriosus inuiso.
At tu Calor, sic olim amænus auratis
Dicare cornibus, arduusq; Vulturno
Ferare uicto, illiq; iam auferas nomen,
Fontem ad tuum recurre, dic meæ luci,
Meo te ab igne posse sæpe siccari,
Meo nisi de fletu identidem crescas,
Dic, me amplius nequire tanta cælare,
Nequire ferre uulnera, ac mori semper,
Tum si ipsa prorsus haud sit immemor nostri,
Si sors amara illi mea, & fides grata,
Dic me libenter ferre, quidquid est duri:—
Quæ alma grato carmine fortium
Mori Thalia facta uetas uirum,
Nunc & per ora Liuianum
Omnium, & omne feras per æuum.
Dic ut superbæ contuderit minas
Germaniæ, atq; a Cæsare barbaro
Fessæ tot annos imminentem

Ausoniae arcuerit ruinam.

N am quis malorum heu heu ueterum *

Non expauebat? cum populos truces

In nos remotis usq; ab oris,

Qua glacie riget Amphitrite.

A udiret armari, asperaq; alpium

Iam uincere altis cum niuibus iuga

Feris inaccessa, atq; fines

V ndiq; iam populare nostros?

A t Liuianus in trepidis docens

Audere rebus, qua uiolentior

Vis hostium ingruit, citatis

Obuius agminibus occurrit.

D uctore tandem hoc scilicet italas

Videre montes insoliti manus,

Tormenta, atq; equos, & arma

Alpicolae stupuere Fauni.

T andemq; nostra impune nimis diu

Bacchati in arua Theutones horride

Sensere in antiquumq; robur,

Inq; nouum Marium incidisse,

C um cæsa, pubis flos Alemanicæ.

Repente in alta ualle Cadubrij

Phalanx niues cruore tinxit

Purpureo rapidumq; plauem.

A rx & recepta est, pectora militum

Cum sæua nostrorum ardua non uia,

Non saxa, non arcere muris

Terrifici potuere nimbi,

C adente ahena fulminis in modum

Contorta ab igni sulfureo pila,

Qua terra subsultat, nigerq;

Cum sonitu ferit astra fumus.

D irum repertum, & ingenium male

Sagax, sacrumq;, quo truculentius

Nil inuenire atrox Megæra.

Sæua nec ira potest deorum.

S ed cuncta præsens horrida temnere

Dux acer urget, hunc sequitur cohors

Secura, præsentemq; mortem

Magnanimo duce freta uincit.

Dijs cura nostri est, ac uenetus pater
Probe latinæ consuluit rei,
Cum ius tibi omne copiarum
Liuiane tribuit suarum.

Corneliumq; mox socium dedit
Magno e senatu, cui sapientia
Insignis, ac fortuna auorum
Scipiadum reparant honores.

Non imperatorem ille queat sibi
Optare, Mauors quem mage diligat,
Non tu senatorem ferendis
Consilijs animosiorem.

Vos nuper hostium unanimes feram
Fregistis audaciam, ac pauidos patres
Firmastis, ac suam attulistis
Semianimis populis quietem.

Vos iam timebit barbarus, ac suis
Pedem cauebit tollere finibus,
Ni læua mens, dijq; nostros

Adcumulare

Adcumulare uolunt triumphos:—

E tua ne mea mi cane carmina cara Lycori

n Mi uox ista auida haurit ab aure animam

Et uela faciem, me me liquat ipsa uidendo,

Et trahit intentis ex oculis animam.

Et mihi conde sinum, istis dum paro pressa papillis

Basia, mi rapiunt ore ab anhelo animam.

Nec mi ostende manum, illa mihi potis est aperire

Pectus, & e medio euellere corde animam.

Et mi ostende aliquid, moribundo abit ægra mihi mens,

Nil uideo, cum te lux mea non uideo.

Quid tamen optarim ostendi mihi, quid tibi in isto est

Corpore, quo uiso non subito peream?

Tolle precor tunicam tantillum, & pascere ocellos

In pede languentes me sine candidulo.

Sed quid ego optaui, mihi paulo ante iste tuus pes

Me incessu tenero dimidium abstulerat.

Quod si tunc imis e uestibus exeruisset

Vnum uel minimum forte aliqua digitum,

Linquere me cupide uidisses, me simul omnem

E

Affusum dulci dulce mori digito.
Verum age iam cane lux mea, iam mihi lux mea totã
Te retege, atq; omnes mi face delitias.
Nam si mors obeunda, inhians in te mea malim
Vita mori, quod uita est mihi amabilius,
Quam tristis desiderio tabescere amati
Corporis, unde miser sim, & decuplo peream:—
Aparion ego sum, quem uiuum maxime amauit
Liuiades, tumulum post dedit & titulum.
Plura cani ingenue de se sibi non licet. at mi
Nunc audita meo accipe de domino.
Latrantem me forte phalanx germana per umbras
Vt nouit, de more affore herum timuit,
Et fugit trepida. at ridens ait una dearum,
Quæ ante Iouis solium ferrea pensa trahunt,
Ne trepidate, semel satis est timuisse, neq; illum,
quem fugitis, prius huc fata uenire sinent,
Quam Gallos male fœdifragos demiserit orco,
Et quisquis uexat barbarus Italiam.
Quisquis ades, domino hæc referas rogo, hęc quoq; pauca
Addito, amat te etiam trans Styga Caparion:—

M. ANTONII FLAMINII CARMINA.

HYMNVS IN PANA.

IAm satis cecini fera
Regum prælia, nunc age
Mater Pieri, quem deum,
Quem dulci æoliç fidis
Plectro rite canemus?
Ante lanigeri gregis,
Syluarumq; uirentium
Custos, cui nigra Mænali
Terga, cui gelidi placent
Summa templa Lycæi?
Nymphæ semiferam Iouis
Prolem dicite, dicite
Pana capripedem, leues
Suetum cum Dryadis choros
Syluis ducere in altis.

n ut grata silentia
Cantu noctiuago deus
Rumpit. cernite, io uenit,
En uenit capitis feri
Serta pinea quassans.
Huc concurrite uirgines
Intactæ, & pueri integri,
At quibus scelera impia
Mentem sollicitant, procul
Hinc abeste profani.
Absint & querimoniæ,
Et mistus lacrymis dolor,
Hic lætis choreis dies
Ducenda, hic leue tinnula
Carmen uoce sonandum.
O Pan Naiadum pater
Qui per deuia montium,
Valliumq; reconditarum
Agrestes agitas canum
Cinctus agmine lyncas,

Te diuum, atq; hominum sator
Syluarum dominum dedit
Esse, qua roseus dies
Surgit, quaq; cadens rubris
Ponti mergitur undis.
Tu fontes liquidos gregi, &
Læta pabula sufficis.
Tu custos ouium potens
Dictus mollia candidis
Exples uellera lanis.
Quos tu sancte pio semel
Agnos lumine uideris,
Illos nec stabulis lupus
Infestus rapiet, mala
Nec contagia lædent.
Felices nemorum comæ,
Quæ te, cum uaga roscidus
Vesper sydera protulit,
Dulci carmina fistula
Audiuere canentem.

unc puræ melius nitent
Noctis conscia sydera,
Tunc auræ Zephyri tacent,
Tunc lætus croceis humus
Spargit floribus herbas.

Non tam dulce sonat cadens
Vdo in gramine cycnus, aut
Veris tempore floridi
Ales sub syluæ querens
Densis Daulias umbris.

Ergo Hamadryades deę,
Limpidis ubi procubat
Vmbra saxea fontibus,
Ludunt in numerum, & leui
Campos ter pede plangunt.

Tu uero choream regens
Cantus ingeminas, sonant
Lætis omnia plausibus,
Et cultrix nemorum gemit
Imis uallibus Echo.

M ox fessa Dryadum agmina
Propter gramineam sedens
Ripam fluminis, hic ubi
Dulcem mollis Amaracus
Late spirat odorem.
E t dum suaue rubentia
Carpunt mala, uel aureos
Crines frigidulis aquis
Immergunt, liquida simul
Voce carmina dicunt.
V t fulgentia sydera,
Et magnas superum domos
Linquens ad uaga flumina
Pauerit niueas oues
Maiæ clara propago,
Q ua Cyllenia uerticem
Rupes umbriferum nigris
Late fontibus irrigat,
Et gratas pecori uago
Semper sufficit herbas.

H ic flauę Doriles sinu
In molli recubans deus
Cælo frondiferum nemus
Præfert, heu nimium graui
Victus uulnere Amoris.

A t fœlix Dorile nouem
Post fastidia mensium
Optatum ex utero dedit
Pondus. uix puer hauserat
Dias ætheris oras,

F ugerunt Dryades, parens
Fugit territa, nam inguinum
Tenus hircus olens erat
Infans, binaq; flammeæ
Stabant cornua fronti.

T unc illum genitor ferens
Albis pellibus abditum,
Ad magni solium Iouis
Venit. nec mora, risit im-
Mensi rector olympi,

R iserunt

R iserunt superi, at Venus
In sinu puerum tenens
Visus pascit amabili
Monstro, grataq; turgidæ
Libat oscula fronti.
S alue o Naiadum potens,
Salue, & hinc lacrymabiles
Morbos, & miseram famem in
Extremas Arabum domos,
Et feros age Turcas. —

HYMNVS IN BONAM VALETVDINEM.

Iua funestis inimica morbis,
d Cui uigor mentis, solidumq; robur,
Et ioci dulces, animiq; semper
Gaudia cordi,
T e Voluptatis canimus parentem,
Candidam blandæ Veneris sodalem,
Vnicum uitæ decus, & malorum
Dulce leuamen,

uam colunt sanctè iuuenes, senesq;,
Quam sibi cuncti cupiunt suisq;,
Nam simul cœtus hominum caducos
Alma reuisis,
Ilicet morbi fugiunt proterui,
Occidit Febris truculenta, dirus
Occidit pallor, fera Mors profundo
Exulat orco.
A t domus florent pueris, senesq;
Induunt fortem uirides iuuentam,
Et Venus terras colit, & Lyæus,
Et bonus Hymen.
O quies rerum, o hominum benigna
Mater, o cunctis ueneranda, nanq;
Quid potest gratum sine te, quid ulli
Dulce uideri?
H uc ades nostrum miserans laborem,
Siue te cæli tenet aula, siue
Insulis molles choreas beatis
Lætus frequentas.

Huc ades tandem bona diua, & artus
Languidos aura resoue salubri,
Ne meam tabes edat immerentem
Atra iuuentam:—

HYMNVS IN DIANAM.

Te quis tacitam sinat
O castissima cælitum,
Cultrix o Erymanthij,
Cynthijq; recessus?
Te chori, & citharæ iuuant,
Te iuuat strepitus canum
Audire, & celeres feras
Acri figere cornu.
At cum sol abit aureus,
Tu perfusa liquentibus
Vndis oceani uago
Lustras æthera curru.
Currum lucida sydera
Sectantur pede candido,

ʃciuas meditantia
ura nocte choreas.
nc ſyluæ memor aureos
Flores, & uiolaria,
Et paruas ſegetes leui
Nutris humida rore.
T u ferum mare temperas,
Tu Noti, & pluuiæ potens,
Tu partus aperis prece
Ter uocata puellæ.
S alue Dux bona ſyderum,
Altorum dea montium
Salue, uotaq; uirginum
Audi rite precantum: —

HYMNVS IN AVRORAM.

e Cce ab extremo ueniens eoo
Roſcidas Aurora refert quadrigas,
Et ſinu lucem roſeo nitentem
Candida portat.

Ite pallentes tenebræ sub orcum,
Ite, quæ tota mihi nocte diros
Manium uultus, mihi dira semper
Somnia fertis.

Da lyram uati puer, ipse flores
Sparge, dum canto. bona diua salue,
Quæ tuo furuas radiante terras
Lumine lustras.

En tibi suaues uiolas, crocumq;,
En odorati calathos amomi.
Surgit, & nostros tibi dulcis aura
Portat odores.

Deferat laudes utinam precesq;,
Quas tibi supplex mea Musa fundit,
Iam pio sanctos bene docta diuos
Tollere cantu.

Quis tuam digne celebrare lucem
Possit o almæ genitrix diei?
Quis tuam formam o dea ante diuas
Pulchrior omnes?

t genas cælo roſeas, comamq;
Auream profers, tibi fulua cedunt
Aſtra, decedit rutilante uicta
Luna decore.

Te ſine æterna iaceant ſepulti
Nocte mortales, ſine te nec ullus
Sit color rebus, neq; uita doctas
Culta per artes.

Tu grauem pigris oculis ſoporem
Excutis, leti ſopor eſt imago,
Euocans tectis ſua quemq; lætum ad
Munia mittis.

Exilit ſtratis rapidus uiator,
Ad iugum fortes redeunt iuuenci,
Lætus in ſyluas properat citato
Cum grege paſtor.

Aſt amans caræ thalamum puellæ
Deſerit flens, & tibi uerba dicit
Aſpera, amplexu teneræ cupito a-
Vulſus amicæ.

I pse amet noctis latebras dolosæ,
Me iuuet semper bona lux, nitentem
Da mihi lucem dea magna longos
Cernere in annos: —
Fons Melioli sacer,
Lympha splendide uitrea,
In quo uirgineum mea
Lauit Delia corpus,
T uq; leuibus enitens
Arbor florida ramulis,
Qua latus niueum, & caput
Fulsit illa decorum,
E t uos prata recentia,
Quæ uestem nitidam, & sinum
Fouistis tenerum uuida
Læti graminis herba,
V osq; Auræ liquidi ææteris,
Nostri conscie amoris ad-
Este, dum queror, atq; uos
Suprema alloquor hora.

Si sic fata uolunt fera,
Si sic est placitum deis,
Vt nobis Amor impia
Morte lumina condat,
Saltem pro pietate mea
Hoc concedite, frigidum
Vt corpus liceat mihi
Vestra ponere terra.
Sic satis moriar libens,
Si spes hæc ueniat simul,
Quod nullo melius loco hos
Linquet spiritus artus.
O si tempus erit modo,
Cum suetum huc aditum ferat,
Quæ nos ante diem nigros
Cogit uisere manes,
Et locum aspiciens, ubi
Illo purpureo die
Me uidit, miserum suis
Multum quærat ocellis,

Sed

S ed iam frigida puluerem
Inter saxa uidens, statim
Pectore ardeat intimo, &
Me sic fata reposcat,
V t uitę ueniam impetret,
Et cogat superos suum
In uotum humida candido
Tergens lumina uelo.
P ulchris undiq; ramulis
Instar imbris in aureum
Manabant Dominæ sinum
Flores suaue rubentes.
T alis idalia Venus
Sylua, sub uiridi iacet
Myrto, puniceo hinc & hinc
Nimbo tecta rosarum.
H ic flos purpureas super
Vestes, hic super aureas
Crines, hic rosei super
Oris labra cadebat.

I lle gramine roſcido
Inſterni, hic uitrea ſuper
Lympha nare, alius cito in
Gyrum turbine uerti.
L eni murmure candidum
Audiſſes Zephyrum tibi
Palam dicere, regnat hic
Blandi mater Amoris.
T unc mecum ter, & amplius
Dixi, aut uenit ab æthere
Hæc alto, uel Oreadum
Certe ſanguinis una eſt:
S ic & blanda proteruitas,
Sic & uirgineum decus
Oris, uerbaq; dulcia
Memet abſtulerant mihi,
V t ſuſpiria ab intimo
Fundens pectore, ſæpius
Dicerem, huc ego qua uia,
Quo ue tempore ueni?

Nam super nitidum æthera
Euectus uolucri pede, &
Magni concilio Iouis
Interesse uidebar.
Illo ex tempore frigerans
Fons, & prata recentia, &
Arbor florida sic mihi
Mentem amore reuinxit,
Vt seu nox tenebris diem
Pellit, seu rapidum fugit
Solem, non alia miser
Vnquam sede quiescam:——
Ii, quibus tam Corytius uenusta
d Signa, tam diues posuit sacellum,
Vlla si uestros animos piorum
Gratia tangit,
Vos iocos, risusq; senis faceti
Sospites seruate diu, senectam
Vos date & semper uiridem, & falerno
Vsq; madentem.

t simul longo satiatus aeuo
Liquerit terras, dapibus deorum
Laetus intersit potiore mutans
Nectare bacchum:—
Bibo Syluae, nam Gibertus acciuit,
a Carissimae Syluae mihi, tamen uerum
Fatebimur, multo ille carior nobis.
Quod si Giberto in hac recondita ualle,
S altuq; uestro nos dei frui uellent,
S i nunc legendo, nunc iocando securam
Quiete uitam degeremus in dulci,
O quid hilarius, quid beatius nobis!
S ed hunc tenet, tenuitq; semper inuitum
O rbis regendi cura, maximi Patris
A mor, bonorum supplices preces, at me
T am longe abesse tam diu nefas, quare
V alete Syluae, iam ualete Conualles:—
Ormosa Sylua, uosq; lucidi fontes,
f Et candidarum templa sancta Nympharum
Quam me beatum, quamq; dijs putem acceptum,

Si uiuere, & mori in sinu queam uestro.
Nunc me necessitas acerba longinquas
Adire terras cogit, & peregrinis
Corpusculum laboribus fatigare.
At tu Diana montis istius custos,
Si sæpe dulci fistula tuas laudes
Cantaui, & aram floribus coronaui,
Da cito dea ad tuos redire secessus.
Sed seu redibo, seu negauerint Parcę,
Dum meminero mei, tui memor uiuam
Formosa Sylua, uosq; lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum: →

Enisti tandem, tandem mea sola uoluptas
u Venisti, & lucem miserę uitamq; tulisti.
Quantum uere nouo gaudet lasciua capella,
Aestiuis quantum sitientes imbribus horti,
Tantum Mopse tuo reditu lætatur Hianthis.
Te sine care puer leto mihi tristior ipso
Vita fuit, tardoq; dies mihi tardior anno.
Seu tenebras Vesper, seu lucem ferret Eous,

Me flentem Vesper, flentem cernebat Eous.
Lugebant syluae, lugebant mollia prata,
Formosusq; suos amiserat hortus honores,
Et desiderio domini pecus omne peribat.
D..cia nunc tecum redierunt gaudia cunctis.
Aspice, te laeta pinus complectitur umbra,
Arguto properans te murmure lympha salutat,
Albaq; purpureum tibi ducunt poma colorem.
Ipsa ego nunc oculos cara satiabo figura,
Discedet macies, discedet corpore pallor,
Et tecum longos peragam feliciter annos.
Seu teneras solito pasces in monte capellas,
Seu patrios fines linques & pabula nota,
Quidquid ages formose puer, tua cara puella
Tecum semper erit, terras comes ibit in omnes.
Iam didici, quid sit, iuuenem expectare morantem,
Expectans una uel nocte puella senescit:—

STEPHANO SAVLIO.

P One meum Sauli, longas iam pone querelas,
Flaminius ualet, ac lætus tibi carmina dictat.
Scilicet ut Romæ corruptas fugimus auras,
Et riguos patrię montes, saltusq; salubres
Venimus, effætos uenit quoq; robur in artus,
Diffugit macies, diffugit corpore pallor,
Et somnus uigiles irrepsit blandus ocellos,
Quem neq; desiliens crepitanti riuulus unda,
Nec letęa mihi duxere papauera quondam.
Iam ualeat Romana meo cum principe tellus,
Certum est in patrijs æuum consumere syluis.
Si lætus pomis, & uili pascor oliua,
Et iuuat angusto uitam traducere tecto
Ignotum, duplici pellentem frigora panno,
Quid regum turres, & limina magna potentum
Persequor, & dulcem dimitto stultus agellum?
At tu, quem uirtus, generis quem antiqua superbi
Ad summos iam nobilitas tollebat honores,

Vitasti sapiens urbana negocia. nunc te
Lauricomas inter syluas, citriosq; nitentes
Musarum placidæ traducunt ocia uitę.
Tu gelidam stratus formosi fontis ad undam,
Qua leuiter cultis immurmurat aura uiretis,
Occultas rerum causus, cæliq; meatus,
Quid deceat, quæ sint fugienda, sequendaue, tractas.
Tu magni eloquium Tulli, numerosq; secutus
Condis perpetuis mansura uolumina chartis.
Nec tamen irriguuos hortos ornare colendo,
Nec citrium serere, aut buxum tondere comantem
Negligis, aut sedes apibus optare quietas,
Dulcia diuini decerpens gaudia ruris.
Te iuuenis uenerandæ sequar, quantumq; benigni
Dÿ dederint uitæ, contentus paupere tecto
Iam uiuam mihi, secretis inglorius aruis:—

Quid mirare, tuo si regnat corde Lycinna,
Nec cessat tantis te cruciare malis?
Crede mihi, non solus amas, Veneris puer omnium
Est diuum, atq; hominum maxima pernities.

Audisti

Audisti ne, humeris cælum qui sustulit altis,
Ausus & inferni regna subire dei?
Ille idem tanto puerum dilexit amore,
Vt seu nox alto surgeret oceano,
Seu roseo terras uestiret lumine Titan,
Hercule cum magno candidus esset Hylas.
Nulla dies miserum puero sine uidit amantem,
Nec cum tergemini corpora Geryonis
Sterneret, atq; alios inuictus mille labores
Imperio duri susciperet domini.
Quin etiam Colchos peteret cum pulcher Iason,
Amphitryoniadæ tum comes ibat Hylas.
Ibat Hylas clauamq; gerens lyciamq; pharetram,
Qualis cum molli Parthenice pluuia
Stat grauis, ac Phœbi radijs aspersa nitentem
Dat lucem paphiæ rarus honos Veneris.
Et iam Pleiades cælo caput attollentes
Linquebant sacras Nereidum choreas,
Cum Pagasæ curuis e littoribus digressi
Currebant celeri per uada salsa rate.

Quos comitabantur cinctæ fulgentibus armis
Pallas, & ipsa potens cælicolum domina.
Iamq; uolans undis Nerei mirantibus Argo
Mysorum claris urbibus appulerat.
Hic iuuenes pictis e puppibus egredientes
Deponunt altis membra sub arboribus.
Et molles sibi quisq; toros bene olentibus herbis
Extruit, intonso creuerat herba solo.
At formosus Hylas taciti per deuia montis
Ibat luciduli sumere fontis aquam.
Fons erat in Sylua puris argenteus undis,
Quem bicolore tegit populus alta coma,
Ac circum paphiæ densant umbracula myrtus,
Et parit assiduas aura benigna rosas,
Narcissumq;, crocumq;, immortalemq; amaranthum,
Et te flebilibus scriptum Hyacinthe notis.
In medio faciles nudato corpore Nymphæ
Ludebant sparsis per rosea ora comis,
Quæ puerum cupido miratæ lumine, cum uix
Illius molles tingeret unda pedes,

Arreptum subito uitreum traxere sub amnem,
Vt quondam ueris tempore purpurei
Stella uolans cælo noctis delapsa per umbram
Emicat, inq; alto conditur oceano.
Tunc lætus clamat summa de puppe magister,
Candida felici pandite uela noto,
Pandite, nam cælo superi bona signa dedere,
Sic ait, & placidis per mare fertur aquis.
At miser Alcides casu perculsus acerbo
Amissum toto littore clamat Hylam,
Littore Hylam, furibundus Hylam per deuia quærit,
Qualis thuricremas parua iuuenta deum
Concidit ante aras, sed fati nescia mater
Non iam frondifero pascitur in nemore,
Nec dulcem puri libauit fluminis undam,
Sed fertur celeri per nemora alta pede,
Omnia mugitu complens, si forte ueniret
Bucula maternis obuia luminibus.
Sic heros Hyla ingeminans, Hyla omnia replens
Errabat dubio per loca sola pede.

uantas ille fero profudit corde querelas,
Pallenti quantas ore dedit lacrymas.
C um sæpe optaret scopulo se mittere ab alto,
Aut uitam rapidis ponere fluminibus.
I nterea curuo soluens de littore funem
Colchorum fines iuerat Aesonides.
Quem desiderio pueri confectus inani
Mox sequitur lacrymans Amphitryoniades.
H os tu sollicitos Heroum doctus amores
Disce libens duræ ferre iugum dominæ.
Nec te iam pigeat, quẽuis perferre laborem,
Omnis amor longo uincitur obsequio:—
Rgo adeo cæptũ peraget mors improba cursum,
Vt post euersæ tristia fata domus
Me quoq; surripiat primo sub flore iuuentæ,
Et nostra exiguus iam tegat ossa lapis.
D ij, quorum auspicio communes hausimus auras,
Parcite nunc uitæ rumpere fila meæ.
P arcite, si uestros suspexi semper honores,
Si nullo infecta est candida mens scelere.

Non prius ac cæli cursum confecit, hibero
  Tingit anhelantes gurgite Phæbus equos.
At nunc perpetuam nobis mors pallida noctem
  Portat, & infernos cogit adire lacus,
Et nondum est rugis facies mihi languida, nec dum
  Infecit nigras alba senecta comas.
Sic rosa uix lætum calathi pandebat honorem,
  Cum cadit, & rutilo murice pingit humum.
Iane pater, nostræ quondam spes una iuuentæ
  Iam condes manibus lumina nostra tuis.
Iam me postremo tumuli donabis honore,
  Et cupies tantis non superesse malis.
Ast ego secura nequicquam mente parabam
  Grandia mox Vmbri dicere facta Ducis.
Vt ualidas olim bello deuicerit urbes,
  Quem tremuit uictis pulcher Isaurus aquis.
Vt nunc indomitos certet contundere Iberos,
  Italiæq; graui soluere colla iugo.
Hæc heu Persephone supremi nuncia luctus
  Vota dedit leuibus diripienda notis.

Sæpe salutifero morbum depellere succo
Tentaui, at nulla cesserat arte dolor.
Sæpe deum supplex clamaui numina, sed non
Audierunt nostras numina surda preces.
Quod si tantu sitis, nostræ si tanta cupido est
Mortis, & effugij spes mihi nulla manet,
Ah liceat saltem elysios inuisere campos,
Et fortunatę regna beata plagæ.
Hic ubi cum molli Nemesis formosa Tibullo
Ludit, & est uati Lesbia iuncta suo.
Et mihi, qualis erit, teneris comitata puellis
Occurret celeri candida Lygda pede.
Et dulces dabit amplexus, & basia iunget,
Iunget & optati gaudia coniugij: —
Eu quid ago? morit' mi animus mellita Nigella,
h Ni tibi quam primum basiolum rapio.
At si basiolum rapio, uereor, tibi meam
Ne sint æternæ post inimicitię.
Quæ me non morti modo dent, sed post quoq; mortē
Perpetuo pœnis tristibus excrucient.

80

S ed rapiam, immo non, utrum o anime efficiam,

Nescio, sed tantum sentio, quod pereo.

Ntonsi colles, & densæ in collibus umbr.

I Et qui uos placida Fons rigat ortus aqua,

Si teneros unquam Fauni cælastis amores,

Si uos Nympharum dulcia furta iuuant,

E ste boni, tutasq; mihi præbete latebras,

Dum sedet in gremio cara Nigella meo:—

VENETIIS.

MDXXIX. MENSE

DECEMB.

IMPRESSORVM ERRATA
SIC CORRIGITO.

Charte.2.uita lege uitta char.5.gemus,lege genus,char.7. ilices? lege ilices?char.9.Thetys,lege Tethys, char.9. Soref, lege Sorex,char.13.lætas lege letus char.14.ocellæ lege ocelle.char.15.Nam quis malorum heu heu ueterum lege Nam quis malorum eheu ueterum memor char.27. Hianthis. lege Ianthis char.28.uinę.lege uitę.char.28.causus lege causas char.28.optare lege aptare



BIBLIOTECA DEL SEMINARIO
VESCOVILE DI PORDENONE
40670
N. ingr. ——————